

et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri. Accedit, quod unus sacramenti effectus, cujusmodi est character, ab alio, qui est gratiæ, ubi suscipientis non deest dispositio, sejunctus esse nequeat.

Hæc argumenta, tametsi demonstrationis vi non polleant; plus tamen habere ponderis, quam oppositæ sententiæ momenta videntur. Quare si quis assertionem hanc posteriorem tueri velit; ad rationes prioris sic respondere poterit.

Ad 1<sup>um</sup>. R. N. Ant. Ordines enim inferiores a Christo institutos fuisse, inde magna probabilitate conficitur, quod Concilia Patresque antiquissimi eorum mentionem faciant, Concilium vero Tridentinum definiat, *uniuscujusque eorum propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse*, nec ostendi possit, quando primo in Ecclesiam fuerint inveci; tametsi non semper per omnes gradus seorsim susceptos, initiati ad Sacerdotium ascenderint. Nam, ut ait S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. a. 1. *in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur... Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una diaconi potestate, sed postea ampliatus est cultus divinus; et Ecclesia, quod implicite habebat in uno, explicite tradidit in diversis.* Unde

Ad 2<sup>um</sup>. R. N. Conseq. Dici enim percommode potest, *collationem* subdiaconatus atque minorum ordinum relictam fuisse Ecclesiæ dispositioni et arbitrio, et idcirco URBANUM asserere, quod de his *præceptum Apostolicum* non habeamus; non autem, quasi illorum ordinum institutio a Christo non proficiscatur.

Ad 3<sup>um</sup>. R. D. Ant. Minores ordines nec semper iidem, nec eodem numero habiti sunt *explicite C. implicite*, ut loquitur S. Thomas N. Constat ex dictis art. 2. ubi, quæ de psalmistarum aliorumque officii dudum desuetis objiciuntur, disjuncta pariter contritaque leguntur. Illud hic addimus sedulo observandum, nempe Concilium Carthaginense IV. (Lab. t. 2. p. 1200.) cum a canone secundo ad nonum usque de singulis ordinibus pertractat, semper uti vocabulo *ordinationis*; *Diaconus cum ordinatur, Subdiaconus cum ordinatur, Acolythus cum ordinatur*, et sic de cæteris: at cum can. 10. et 11. de psalmista et consecratione sanctimonialis agit, ab *ordinationis* nomine prorsus abstinere. Quid ita? quoniam voci *ordinationis* non cujusvis ministerii aut ritus, sed rei cujusdam augustioris, veri scilicet ordinis ac sacramenti significationem subesse existimavit.

Ad 4<sup>um</sup>. R. N. Cons. Quamvis enim minorum ordinum ministeria laici quandoque, ob clericorum defectum aut negligentiam, licite exercent; hoc tamen non faciunt ex officio, et suscepta potestate. Hanc responsionem adhibet S. Thomas q. 37. Suppl. a. 4. ad 9. eamque hoc exemplo illustrat: *sicut, ait, in domo non consecrata potest dici Missa, quamvis consecratio Ecclesiæ ad hoc ordinetur, ut in ea Missa dicatur.*

Ad 5<sup>um</sup>. R. N. Ant. Nam ex c. *Sollicitudo*, Dist. 3. sive ex rescripto Alexandri II. ad episcopum Constantiensem, ordinatus in diaconum et presbyterum, *subdiaconatus ordine postposito*, tenetur subdiaconatum ipsum suscipere: ideoque non in gratiam tironum minores ordines sunt instituti. Ne vero neophyti ad sacerdotii honorem obreperent; definitum inter unum et alterum ordinem ab Ecclesia fuit aliquod temporis intervallum, non

autem instituti ordines aliqui, qui ab exordio Ecclesiæ minime extiterint. Quamvis igitur, ut scribit S. LEO Magnus epist. ad ANASTASIUM Thessalonicensem 6<sup>a</sup>. (al. 4<sup>a</sup>.), *qui sacerdos et Levita ordinandus est, per omnes clericalis officii ordines provehatur, ut diuturno discat tempore, cujus et doctor ipse futurus est; non alium tamen in finem, quam ad Eucharistiæ consecrationem, decentemque ejus tractationem septem ordines sunt instituti*, ut q. cit. a. 2. scribit Doctor Angelicus, et fuse prosequitur.

## ARTICULUS IV.

## DE SUBDIACONATU.

65. *Nota I.* Subdiaconi nomen idem significat, ac *Subminister*, cum Diacono subsit, eique inserviat. Unde subdiaconi officium est, vinum et aquam pro altaris ministerio præparare, ministrare diacono, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre, pallas altaris et corporalia abluere, Epistolam in Missa solemnè legere. Olim etiam ad subdiaconum pertinebat catechumenis tradere rudimenta fidei: apud Græcos vero custodire fores templorum, catechumenos introducere, et educere eos, qui poenitentiam publicam obibant, ut tradit MORINUS.

*Nota II.* Subdiaconatum esse ordinem sacrum, atque inter eos, qui majores dicuntur, computandum, aperte declarat Tridentina Synodus Sess. 23. cap. 3. et Doctores omnes consentiunt. At duo, quæ difficultatem ingerunt, discutienda restant: primum, utrum subdiaconatus pro ordine sacro semper fuerit in Ecclesia Dei agnitus? alterum, an sit veri nominis sacramentum? Recentiorum complures cum Morino Exercit. 12. cap. 5. contendunt, subdiaconatum per duodecim priora secula in classe minorum ordinum locatum fuisse, inde vero eximi cœpisse, cum eidem solemnè castitatis votum fuit annexum. Pariter, qui inferioribus ordinibus, ii quoque subdiaconatui dignitatem sacramenti denegant, ea scilicet ducti ratione, quod sacerdotio et diaconatu exceptis, ordines reliqui auctorem Christum non habeant.

66. *Dico I.* Verosimilius est Subdiaconatum semper in Ecclesia Dei fuisse ordinem sacrum, quatenus hic spirituales tribuit potestatem, in sacrificio altaris propius inserviendi.

*Prob. I.* Concilium TRIDENTINUM supra relatum declarat, *uniuscujusque septem ordinum propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse.* Atqui proprium subdiaconi ministerium est, inservire in sacrificio missæ propius, quam initiati minoribus ordinibus faciunt, contrectare sacra vasa et ad sacrificium deferre, aliaque munia paulo ante commemorata obire, ut vel ex sola subdiaconi ordinatione apparet. Ergo subdiaconatus semper et a sui institutione ordo fuit sacer, in prædicto sensu acceptus.

*Prob. II.* Idem TRIDENTINUM Sess. 23. c. 2. diserte inquit: *Subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur.* His autem verbis vetus et universalis exprimi traditio videtur; neque enim recentiores, dum hoc Tridentini pronuntiatum ad posteriorum seculorum Patres et Concilia

referunt, aptam hujus interpretationis rationem asserere possunt, quemadmodum nec demonstrare valent, quandonam primum subdiaconatus in Ecclesiam fuerit intrusus; ergo.

Cæterum si denominatio *sacri* a continentiae voto proficiscatur, fatemur eo sensu subdiaconatum non fuisse semper ordinem sacrum. Sed cælibatus ad sacri ordinis decentiam, non ad substantiam pertinet; alioqui sacris ordinibus carerent Græcorum Ecclesiæ. Sed de hoc infra recurret sermo. Rursus si ordo sacer pro hierarchico accipiatur, facile concedimus, subdiaconatum ordinibus sacris non accenseri. Hierarchæ enim sunt, qui jurisdictionem aliquam seu principatum in Ecclesia obtinent, cujusmodi sunt Episcopi, Presbyteri et Diaconi, ut docent Patres, Ignatius epist. ad Trallianos, Hieronymus in cap. 2. epist. ad Titum, Chrysostomus hom. 83. (al. 82.) in Matth. His siquidem in suo cuique gradu competit regere gregem, sacramenta aliqua ministrare ac prædicare verbum Dei: quod cum potestatem subdiaconorum excedat; ii utique ad hierarchiam proprie non pertinent, nisi ut Hierarcharum ministri; ac proinde subdiaconatus hac ratione consideratus non est in ordinibus sacris numerandus.

67. *Dico II.* Verosimilius est, Subdiaconatum esse proprii nominis sacramentum.

*Probat*ur omnibus iis momentis, quæ art. præcedente assertionem 2<sup>am</sup>. roboravimus. Habet enim subdiaconatus, quicquid ad sacramenti naturam requiritur. Ac primo quidem institutum esse a Christo, inde efficitur, quod vetustissimi Patres et Concilia eundem, non velut rem recens invecnam, sed in Ecclesia compertam commemorent, scilicet Auctor constit. Apost. L. 8. c. 13. et 28., Scriptor epistolæ ad Antiochenos (inter opera S. Ignatio quondam adscripta), CYPRIANUS L. 2. epist. 10., Conc. Laodicenum can. 24. et Carthaginense IV. can. 2. apud BELLARM. L. de Clericis c. 12.: nec ostendi potest, quo tempore, quo auctore cœperit. Igitur ejus origo ad Christum referenda videtur.

*Confirmatur* ex Græcorum Euchologiis et Pontificalibus, quæ tamen ab adversariis identidem obtruduntur. Nam ipso Morino teste part. 2. pag. 81. episcopus Græcus in subdiaconi inauguratione ita precatur: *Domine Deus noster, qui per unum et eundem Spiritum sanctum unicuique eorum, quos elegisti, charismata tua divisisti; qui ordines diversos Ecclesiæ tuæ donasti, et gradus ministerii in ea contulisti, ad ministrandum sanctis tuis et immaculatis mysteriis, etc.* En Græci ipsi subdiaconatus aliorumque ordinum auctorem Deum-Hominem faciunt. Adsunt deinde in subdiaconi ordinatione materia et forma, quibus traditur potestas tangendi et ad sacrificium deferendi sacra vasa, ac diacono proxime inserviendi. Nec abest denique sacramentalis gratia, quæ in rite suscipientibus sejungi non potest a characterem, quem subdiaconatu imprimi supra ostendimus.

68. *Obj. I. contra concl. 1<sup>am</sup>.* Patres in ordine sacro Episcopos, Presbyteros et Diaconos, minime vero Subdiaconos collocant. S. Ignatius in epist. ad Smyrnæos (PP. Apostolicor. opp. p. 231. edit. Hefel.) agens de obedientia Ecclesiæ ministris præstanda, *Laici*, inquit, *Diaconis subditi sint, Diaconi Presbytero, Presbyteri Episcopo*, nulla facta mentione Subdiaconorum.

S. HIERONYMUS in epist. ad Evangelum 146. (al. 83.) scribit: *Ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri, et Diaconi vindicent in Ecclesia.* S. AUGUSTINUS in epist. ad Valerium 148. (al. 21.) *Nihil, ait, in hac vita difficilius, periculosius, laboriosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio.* Numquid non fuisset etiam periculo obnoxium officium Subdiaconi?

R. D. *Ant.* Patres subdiaconos non collocant in ordine sacro, prout ordo sacer dicit potestatem inserviendi ad altare pro confectione sanctæ Eucharistiæ N. prout ordo sacer idem est, ac hierarchicus C. Hoc unum ex recitatis Patrum testimoniis conficitur. Reticeantur itaque subdiaconi, et inter inferiorum ordinum clericos numerari videntur, quoniam non præsumunt plebi, sed sacerdotibus et diaconis duntaxat ministrant. At diaconi quoque, comparati ad plebem, principes sunt ac præsules, omniaque faciunt, quæ Episcopi et Presbyteri, si consecrationem dominici corporis, ordinationem clericorum, eaque munia, quæ potestatem ordinis requirunt, excipias. Quid igitur mirum, quod AUGUSTINUS dicat, eorum etiam officium magnis esse difficultatibus, laboribus, periculis implicatum?

69. *Inst. 1. C.* Nullus in Episcopum ex URBANO II. sic habetur: *Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, et Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* Atque laudati Pontificis decretum commemorat etiam INNOCENTIUS III. cap. *A multis*: de ætat. qual. et ord. Præfic. decernens etiam subdiaconos posse in Episcopos eligi, cum jam ipsorum ordo inter sacros recenseatur, *cum hodie*, inquit, *subdiaconatus inter sacros ordines computetur.* Ergo subdiaconatus non semper in ordinum sacrorum numero habitus est.

R. D. *Cons.* Si ordinis *sacri* ratio petatur a solemnibus cælibatus professione C. si a propiori accessu ad Eucharistiam, quam competat aliis inferioribus ordinibus N. Laudati Pontifices alique scriptores, ut Petrus Cantor, et Magister sent. duos tantum ordines, presbyteratum et diaconatum in Ecclesia primitiva sacros fuisse eo ex capite asserunt, quod presbyteri et diaconi semper et constanter in Ecclesia latina castitatem solemnibus voto profiterentur, non item subdiaconi; pro his siquidem varia olim erat disciplina. In Concilio Eliberitano can. 33. (Labb. t. 1. p. 974. C.) et Gerundensi can. 6. (Labb. t. 4. p. 1368. D.) adstringuntur utique ad continentiam etiam subdiaconi, nec non in pluribus Toletanis: at non ita in Carthaginensi V. c. 3. (Labb. t. 2. p. 1215.) ubi indicta Episcopis, Presbyteris et Diaconis vita cælibe, subjungitur: *cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* NICOLAUS I. de Adone Viennensi episcopo conqueritur, quod cuidam subdiacono uxorem ducendi potestatem fecisset (Labb. t. 8. p. 515. A.). PELAGIUS quoque II. ex more Romanæ Ecclesiæ subdiaconos Siciliae continentis legi subjecerat: at hoc GREGORIO M. visum est *durum atque incompetens*, ut ipse scribit L. 1. epist. 42. (al. 44.) relata can. *Ante triennium*. dist. 31. Quare PELAGI decessoris sui decretum ita temperavit, ut permitteret subdiaconis matrimonio junctis uxores retinere ea lege, ut diaconatu nunquam initiaretur, *nisi qui se victurum caste promiserit.* Posteaquam igitur hæc Ecclesiæ Romanæ consuetudo ad alias Ecclesias, etiam orientales

promanavit; subdiaconatus etiam ex titulo castitatis annexæ appellatus est ordo *sacer*, tametsi hujusmodi semper ex propiori ad Eucharistiam accessu extiterit.

70. *Inst. 2.* Subdiaconis olim non licebat ingredi sacrarium, quod Græci appellant *diaconicon*, nec tangere sacra vasa, can. *Non oportet*, dist. 23. qui canon est 21. Conc. Laodicensi. Ergo subdiaconatus non est ordo sacer, etiam quatenus hic tribuit potestatem spiritualem contrectandi sacra vasa.

R. Duo apud veteres sacraria fuisse, alterum, quo peractis mysteriis Eucharistia a diaconis recondebatur, quem locum etiam *thalamum*, *postophorium* aut *columbam* appellabant; alterum, in quo suppellex ecclesiastica servabatur: hoc secundum ingrediebantur subdiaconi, non primum. Porro adversarii, ut subdiaconatum ab ordinibus sacris arceant, illud hic etiam objiciunt, apud Græcos subdiaconatum extra sanctuarium conferri, aut in diaconico, aut ante portas, quas vocant, *speciosas*, chorum a narthece dividentes: quod quidem nos idcirco factum dicimus, quia subdiaconatus non est ordo hierarchicus, ideoque extra sanctuarium, et in *diaconico* aliquando conferebatur, propterea quod eo in loco, quo condebatur sacra suppellex, incipiat subdiaconi ministerium, quod est sacra vasa ad altare deferre: Verum quomodo subdiaconi in *diaconico* ordinantur, si istud ingredi nequeunt? Itaque nisi pugnantia loqui velint adversarii, duo fuisse sacraria necessum est fateantur.

Quod ad contactum sacrorum vasorum attinet,

R. Laodicenum canonem accipiendum esse vel de sacris vasis jam in altari positis, et sacrificii tempore non contrectandis, quod colligitur ex *c. Non liceat*, dist. 23. vel de sacris vasis iis, quæ actu continent corpus et sanguinem Christi, cum subdiaconi pro officii sui munere semper tetigerint sacra vasa sacramento vacua, ut Morinus ipse part. 3. Exercit. 12. c. 2. n. 7. fateatur, atque ex Balsamone probat, vindicans hac ratione canonem Laodicenum adversus nonnullos Theologos. Itaque et hoc adversariorum argumentum ficulneum est, et fractum.

71. *Obj. II. contra concl. 2<sup>m</sup>.* Si subdiaconatus esset sacramentum, certe Ecclesia, utpote fidelis custos depositi a Deo sibi crediti, istud caute conservasset, nec facile quisquam, nisi eo suscepto, ad altiores ordines fuisset susceptus: atqui sæpenumero ad alios ordines promoti quidam fuere prætermissio subdiaconatu; ergo. *Minorem* probat Morinus Exercit. 11. cap. 2. multis exemplis de Chrysostomo, Theodoro, Nazianzeno, Pauliniano Hieronymi fratre, omisso subdiaconatu, ad diaconatum, et presbyteratum eVectis. Idem de Macedonio, Acepisma, Salamano eremi cultoribus aliisque compluribus refert Morinus.

R. Hoc argumentum semel atque iterum obtritum est supra, ubi ex Tridentino docuimus, septenarium ordinum numerum inde ab Ecclesiæ incunabulis sedulo fuisse custoditum. Pariter ibidem diximus, viros quosdam nominis celebritate ac sanctimonie fama illustres, cujusmodi fuere laudati a Morino, *per saltum* fuisse ordinatos, quod tamen postea inhibuit fuit. At quid deinde? sequiturne, subdiaconatum nec ordinis sacri, nec sacramenti rationem habere? minime profecto; alioqui consequens foret, nec diacona-

tui inesse præstantiam sacramenti; siquidem ipsemet Morinus loc. cit. annotat, Macedonium, Acepisimam, et Salamantum, quin et S. Augustinum ad sacerdotium fuisse promotos, diaconatus ordine prætermisso.

72. *Inst. 1.* Si subdiaconatus verum esset sacramentum, non posset nisi ab Episcopo conferri, quippe qui solus sacramenti ordinis minister est. Atqui collatus olim fuit a Chorepiscopis, ut constat ex can. 10. Conc. Antiocheni, qui tamen simplices erant Episcoporum vicarii, ut iterum manifestum est ex epist. 88. S. LEONIS M. ad episcopos Germaniæ et Galliæ (a multis inter spuria rejicitur) data anno 444. qua prohibetur, ne Chorepiscopi chrisma conficiant, et ipso chrismate signent frontes baptizatorum, eo quod non habeant apicem episcopatus; ergo.

R. Cum Card. BELLARMINO L. 4. de Clericis cap. 17. quem sequuntur etiam recentiores perique omnes, Tournelio excepto, Chorepiscopos olim *per se* quidem fuisse presbyteros, *per accidens* tamen aliquando episcopali præditos consecratione, cujusmodi hodie sunt Episcopi quidam titulares, qui et suffraganei appellari solent. Eruitur id ex cit. canone Antiocheno; sic enim incipit (Labb. t. 2. p. 577. B.): *Chorepiscopi, qui manus impositionem ab Episcopis acceperunt, et ut Episcopi sunt ordinati*, etc. ubi non de omnibus promiscue Chorepiscopis sermo est, sed de iis duntaxat, qui Pontificum ritu a pluribus sunt Episcopis consecrati. Præterea eodem canone Concilium hisce Chorepiscopis non permittit solum, ut subdiaconos absolute ordinent; sed etiam ut presbyteros et diaconos inaugurare possint, si id Episcopus loci permiserit. Ex quo perspicuum est, eos Chorepiscopos revera episcopali caractere fuisse insignitos. Porro in fine illius canonis, ubi legitur: *fiat autem Chorepiscopus ab Episcopo civitatis, cui subjicitur*, non de iisdem Chorepiscopis agitur, sed de altero genere, eorum scilicet, qui presbyteri duntaxat erant, illo tamen nomine cohonestati, quod in pagis et villis seu etiam oppidulis (id enim græca vox *Χῆρος* sonat) Episcopum quodammodo representarent. Voluit enim Concilium statuere legem, ut deinceps Chorepiscopus ordinetur ab Episcopo uno, qui proinde presbyter sit, non Episcopus. Atque de hoc Chorepiscoporum genere accipiendus est S. LEO in cit. epist. Quod si quis contendat, concessum aliquando Chorepiscopis secundi generis fuisse, ut subdiaconos ordinent; dicendum, id factum ex privilegio et extraordinaria facultate, quemadmodum demonstratum est alibi, posse presbyterum ex delegata potestate conferre sacramentum Confirmationis, quanquam id ordinario jure ad ordinis episcopalis potestatem spectet. Ita BELLARMINUS. Atque ex his patet responsio ad argumentum propositum.

73. *Inst. 2.* Ordinatio, in qua non adhibetur manuum impositio, non est sacramentum; atqui in conferendo subdiaconatu manuum impositio non adhibetur; ergo. *Prob. Maj.* Concilium Trid. statuens cap. 2. ordinem esse proprie dictum sacramentum, id demonstrat ex verbis Apostoli 2. ad Tim. 4. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*; ergo.

R. *N. Maj.* Alioquin potestas consecrandi Christi corpus et sanguinem, quæ presbytero cum porrectione instrumentorum citra impositionem ma-

num confertur sub hac forma : *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo*, etc. non daretur per signum collativum gratiæ, quod infra rejiciemus.

*Ad prob. R. D. Ant.* Concilium id demonstrat ex illis Apostoli verbis, quatenus exprimunt rem sensibilem gratiæ effectricem *C.* quatenus præcise manuum impositionem exprimunt, *Subdist.* loquendo de ordine hierarchico. *Tr. de alio quocumque N.* Synodus Trid. sic loquitur : *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis : inquit enim Apostolus : admoneo te, ut resuscites, etc.* Ubi Concilium primum generatim pronuntiat, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, conferri gratiam : subinde hoc demonstrat exemplo ordinationis episcopalis, in qua impositione manuum velut signo exteriori gratiam impertiri probat ex Apostolo. At quis inde concludat, nullam ordinationem, in qua non usurpatur manuum impositio, sacramenti rationem habere? esto, ritum hunc ad ordinem hierarchicum esse necessarium. Quanquam impositio manuum a Græcis adhibetur etiam in ordinatione tam subdiaconi, quam lectoris, et qui ordines istos sacramenti dignitate spoliant, asserere debent, manuum impositionem interdum ritum esse ac ceremoniam, non semper sacræ ordinationis materiam.

74. *Inst. 3.* Olim Christi corpus etiam laici attrectabant, quod utique amplius aliquid videtur, quam sacra vasa contingere; ergo ex tradita in subdiaconi initiatione potestate tangendi sacra vasa atque ad altare deferendi, non infertur dignitas sacramenti.

*R. N. Cons.* Aliud quippe est de altari communionem accipere; aliud ad altaris ministerium accedere : istud omnibus recte credentibus commune quiddam est; hoc vero ad solos a Domino electos et in Dei sortem adscitos pertinet.

## ARTICULUS V.

## DE SACRO DIACONATUS ORDINE.

75. *Nota I.* Diaconatus recte definitur ordo, per quem potestas confertur, ut quis solemniter ac proxime presbytero sacris operanti inserviat. Unde *S. LAURENTIUS* apud *AMBROSIUM* L. 1. de offic. cap. 41. (opp. t. 2. p. 55.) ita Pontificem Sixtum alloquitur : *Quo sacerdos sancte sine diacono properas tuo? Tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras.* Et *S. IGNAZIUS* in epist. ad *Trallianos* inquit (PP. Apost. opp. p. 191. edit. Hefel.) : *Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Jesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri. Cuncti revereantur diaconos, ut mandatum Jesu Christi.* Præterea in sacrificio missæ diaconi legebant Evangelium, teste *S. HIERONYMO* epist. 48. (al. 147.) ad *Sabinianum* diaconum : *Eucharistiam dispensabant præsentibus, atque ad absentes deferebant, cujus consuetudinis exempla complura extant apud CYPRIANUM; meminitque S. JUSTINUS* Apol. 2.

(opp. p. 97. E.) quod tamen officium ipsis aliquando, saltem præsentente Presbytero prohibitum fuit, ut habetur in Concilio Arelat. II. can. 13. (Labb. 1. 4. p. 1013. A.) et Carthaginensi IV. can. 38. (ibid. t. 2. p. 1203. C.) Tandem, ut alia munia præteream, baptismum cum eorum qui præsentunt facultate conferebant.

76. *Nota II.* Diaconatum esse ordinem eumque sacrum, atque etiam hierarchicum, non est, cur prolixius hic demonstremus; cum ex iis, quæ dicta sunt hactenus de ordinum numero, ac speciatim de subdiaconatu, satis compertum habeatur. Novatores cum *Calvino* L. 3. Instit. c. 5. totis viribus contendunt, diaconatum aliud non esse, quam deputationem quamdam ad ministerium profanum, cujusmodi est præsidere mensis, et in viduas ac pauperes eleemosynas erogare. *Spalatensis*, ut hanc *Calvini* sententiam molliret, L. 2. de Repub. Ecclesiast. c. 4. addit, diaconos successu temporis ex Episcoporum facultate etiam altaribus aliquo pacto inserviisse, atque aliqua sacra ministrasse. Tolerabilis hac in parte foret hic hæreticorum error, si alias adstruerent sacras ordinationes et altaris ministeria; quandoquidem nec ex Catholicis Theologis defuere, qui diaconatui sacramenti dignitatem ereptum irent. Talis fuit *Durandus* in 4. dist. 24. q. 2. Talis *Cajetanus* tom. 1. Opusc. tract. 11. asserentes solum sacerdotium esse sacramentum. Horum tamen opinionem præclarissimi Doctores aiunt, sine temeritatis nota defendi non posse. Itaque

77. *Dico.* Diaconatus est sacramentum proprie dictum.

*Prob. I.* In diaconatu reperiuntur omnia, quæ ad sacramentum proprie dictum requiruntur. Nam 1º. constat signo sensibili, manuum scilicet impositione, quam in primorum Diaconorum inauguratione usurparunt Apostoli, qui Act. 6. v. 6. *orantes imposuerunt eis manus*, quamque Ecclesia semper adhibuit. 2º. Ritu hoc sensibili confertur gratia, quod invicte ostenditur ex canone 4. Sess. 23. Concilii Trid. *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere : accipe Spiritum sanctum, etc.* Etenim apud Latinos eadem verba recitantur ab Episcopo manum imponente iis, qui diaconi consecrantur; in Ecclesia vero græca eodem plane modo diaconus, quo presbyter ordinatur, mutata duntaxat voce *presbyteri* in vocabulum *diaconi*. Igitur consecratio diaconi est signum sensibile conferens Spiritum sanctum et gratiam. 3º. Diaconatum divinæ institutionis esse, colligitur tum ex facto Apostolorum diaconos consecrantium; tum ex Tridentino eadem Sess. can. 6. anathema contorque in eos, qui dicunt, *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinam ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris*: adeoque nisi quis sacrorum virorum cœtui adlegere velit clericos cæteros, necesse saltem erit ei inserere diaconos, qui peculiari ratione, suique etymologia nominis, ministri dicuntur.

*Prob. II.* Traditione Patrum, inter quos, ne recenseam paulo ante commemoratos, Auctor operis de Hierarchia Eccles. cap. 3. diaconos vocat *selectos liturgiæ ministros* (opp. t. 1. p. 187. D.). *S. OPTATUS* Milevit. L. 4. *Quid commemorem, inquit, ministros plurimos, quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Quo in loco per ter-*